



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

5 An requiratur necessario spes fructus, vt correctio sit in præcepto, &
quæ spes futura sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

4 Argumenta pro secunda sententia facta non videntur. Fatorum Charitum Dominum Matth. 18. locum fuisse de correctione peccantis mortaliter, non venialiter. At inde non inferitur non esse præceptum de corrigendo fratre peccante venialiter in illo præcepto tacite inclusum, non quidem hic culpa graui, sed leui; quia leuiter, & secundum quid per peccatum veniale deperditur frater, & sic per correctionem lucratur. Ad secundum obsequendo facile posse peccatum venialiter se à peccato liberare, vt verò facilius liberetur, seu vt efficaciter liberetur, indiget correctione. Ad tertium dico non esse graue iugum, quia nec sapè speratur fructus ex correctione, neque constat de periculo proximi, neque facile absque verecundia eum potes corrigere.

5 Hæc dicta sunt de correctione peccati venialis, ex quo non timeatur lapsus in mortale, nam si hic timeatur, non leuis, sed grauis obligatio erit illud corrigendi, pro grauitate periculi, vt supra dicti Doctores docent.

6 Sed quid dicendum, si peccans venialiter subditus sit, & ob eius nimiam licentiam aliis ruina paratur, vel religio obseruantia labefactatur? Dicendum est teneri Prælatum non solum sub obligatione peccati venialis, sed mortalis, tales defectus veniales corrigere. Sic Sotus q. 2. concl. 3. de secreto. Lorca 2. 2. qu. 33. disp. 45. n. 4. Bannes de charit. art. 2. dub. 2. Torres disp. 86. dub. 2. §. 3. dicens. Suar. disp. 8. de charit. sect. 2. n. 6. circa finem. Eman. Saa verbo correctio. n. 5. in edit. Roman. ibi simplex veniale in Prælato regulari necessaria materia correctionis. Agid. de Coninch. disp. 28. dub. 3. n. 24. vbi extendit obligationem ad quemlibet priuatum. Ratio est, quia obligatio non tam est ex præcepto correctionis, quæ bono spirituali proximi attendit, quam ex obligatione officij superioris, quo tenetur religiosam disciplinam conseruare, & nullo modo labefactandam permittere. At ex permissione defectum venialium, si graues sint, & nociui, solet religiosam disciplinam nimium labefactari. Tenetur ergo Prælatus hanc diminutionem præcaere; Iudices verò seculares non ita ardentur hac obligatione corrigendi in subditis peccata venalia, nisi defectus essent reipublicæ graue nocumtum inferentes.

Syndici, visitatores, & alij vices Prælati gerentes tenebuntur Prælatum de defectibus admonere; & si in hac parte nimium dissimulent, & ex eorum dissimulatione religiosa obseruantia in communitate labefactari prudenter timeatur, peccabunt grauius. Sic ut Prælatus peccaret sciens tales defectus, & non corrigens, cum possit ita Suar. & Lorca, & Agid. supra.

7 Ex sola tamen dissimulatione cum aliquo horum defectuum, si occultis sint, non existimo Prælatum peccatum grauius, cum ex illis, vt ipse occultis, non detur aliis occasio ruinae, neque ob illas, disciplina religiosa labefactetur, neque ipse religiosus in periculo proximo sit cadendi à statu religioso, vt suppono. Colligitur ex Bonac. disp. 3. q. 4. puncto. 7. aliter peccata venalia non esse corrigenda sub obligatione, nisi forrè talia sint, vt proxime disponant ad mortalia, aut magnum aliis afferant detrimentum. Et Suar. disp. 8. sect. 2. n. 6. circa finem. Tuus maxime (inquit) poterit esse obligatio in Prælato sub mortali corrigendi venialia, quando defectus sint generales communitatis, quod si in communitatem non redundant, neque ex illis salus proximi in discrimine vertitur, non agnoscit ex quo capite obligatio corrigendi sub mortali possit oriri. Idem colligitur ex Torres disp. 86. dub. 2. sine. vbi postquam dixit superioris religionum obligari sub mortali ad reprehendendas consuetudines aliquas contrarias religioni subditorum. Idem dicere ego de obligatione Prælati ad reprehendum aliquem fraternam correctione propter aliquod genus peccati venialis nocuum religioni, v. g. propter impudica aliqua verba, aut consuetudinem iurandi, aut simile quid, quod religiosum maxime dedecet. Ecce quia ratione ex omnibus iis auctoribus constat Prælatum non esse sub mortali obligatum corrigere defectus veniales, nisi tales sint, qui religioni ob malum exemplum nocent.

PUNCTUM IV.

An necessarium requiratur, vt obliget correctio præceptum, cognitio in corrigente de fratre delicto, & in ipso fratre cognitio illius.

- 1 Cognitio moraliter certa de peccato gratis prærequiritur ad correctionis obligationem.
- 2 Si proximus est ignorantia inuincibili peccat, plures censent non esse necessariu corrigendum.
- 3 Probabilis existimo corrigendum esse.

1 Et omnes Doctores sentiunt non posse esse obligationem certam de corrigendo fratre absque noticia moraliter certa de eius miseria, & necessitate: ita Adian. 4. quæst. de correctione. Nauarr. cap. 24. n. 12. Suar. alius relatus disp. 8. sect. 3. num. 1. Lorca 2. 2. q. 33. art. 5. disp. 44. num. 4. Eman. Saa. verbo correctio in editione Romana. vbi. si mortale incurrerit, non est adhibenda correctio. Villalobos. 1. 2. sum. tract. 4. difficult. 3. num. 1. Agid. de Coninch. disp. 28.

dub. 6. n. 87. adducitque potest Sotus de secret. memb. 2. q. 2. concl. 4. & Torre 2. 2. q. 33. disp. 86. dub. 3. in principio dicentes requiri, & sufficere notitiam probabilem & prudentem, cum enim dicunt prudentem necessario expostulare debent notitiam delicti commisi, & committendi moraliter certam. Alias corripiens sine hac certitudine non amorem, sed iram, & odium in fratre excitaret, cum illi peccatum forrè non commissum obiceret, facillimòque negorio correctio eludi posset: & probari videretur satis ex illo Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus id est, te sciente, vt explicat August.

2 Difficultas maior est, an excusetis à correctione eo quod proximus delictum non cognoscit? Et quidem si id procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, clarum est te obinde excusari non posse, cum illa ignorantia non excuset proximum à peccato. At si ex ignorantia inuincibili legem transgrediarur, plures Doctores docent te obligatum non esse. Qua ratione dicunt nullam esse obligationem monendi comedentes carnes die Veneris, vel non audientem Missam die festo, si ignorantia inuincibili præcepti laborat. Tum quia proximus non est absolutè in statu spiritualis miseria, cum non peccet, tum etiam quia præceptum correctionis est de peccato proximi, iuxta illud, si peccauerit in te. Ergo vbi non adest peccatum, non est obligatus, & ita tenet loquens de ignorantia iuris positui Bannes, dub. 3. q. 33. art. 5. Nauarr. cap. 24. numero 12. & 13. Valen. disputatio. 3. questione 10. punct. 2. §. cum tamen Villalobos tract. 4. difficult. 4. numero 6. Bonacina disputatio. 3. de charitate q. 4. p. 7. numero. de qualibet ignorantia id affirmat, modò non vergat in graue detrimentum ipsi sui delinquentis, vel tertij, neque obligatus sit ex officio.

3 Ego verò existimo siue obligatus sit ex officio, siue non, siue ignorantia sit iuris positui, siue naturalis, si ex monitione speratur fructus, te teneri, sic transgredientem legem, monere. Tum ob reuerentiam ipsius legis, tum quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto nen impunitur culpa. Ergo est materia doctrinae, vel correctionis, & obiecum spiritualis elemosinae. Adde regulariter ex transgressione materiali legis sit quis facilis ad formalem illius transgressionem. Ergo si commodè potest hoc periculum vitare, quæ causa esse potest, vt excusetis? Denique si transgredientes legem non corrigis, cum possis, tacite denotas eam transgressionem approbare, & scandalum generas. Et quidem si ex officio obligeris, vt si sis superior parochus, confessorius, & dominus, ferè omnes Doctores tenent te obligatum esse, quia ratione officij teneris subditos instruere in obseruatione præceptorum. Item teneris procurare, ne aliis scandalum occasionem præbeant, quod ipse transgressione materiali legis causatur. Deinde impedire, ne alij intelligant subditorum errores te approbare: sic Thom. Sanch. lib. 2. de matrim. disput. 38. numer. 5. Valen. 22. disput. 3. quæst. 10. p. 2. §. tertio certum est. Et adducit Gregor. Hom. 11. in Ezech. & Paulum. Ebonum 20. Non enim subuersis, quò minus annunciarer omne consilium Dei vobis. Bonac. disput. 3. de charit. quæst. 4. p. 7. n. 10. At quando ex officio non obligaris, docet Lorca disput. 41. numer. 15. Suar. disp. 8. sect. 1. numer. 6. Azor. lib. 11. cap. 15. quæst. 4. & 5. Valen. & Villalobos. supra. Plures tamen ex iis Doctores solum in iure diuino, & naturali id admittunt: nam in ignorantia iuris positui iam diximus ex Fortite non esse obligationem monendi: sed quia eadem videretur esse ratio de vtroque, scilicet reuerentia legis, & transgressio materiali illius, & malitia ignorantia, ideo de omnibus dicimus esse obligationem monendi, seu corrigendi: & ita tenet Coninch, disp. 28. dub. 4. n. 38.

PUNCTUM V.

An requiratur necessarium spes fructus, vt correctio sit in præcepto, & quæ spes futura sit.

- 1 Spes fructus necessaria requiritur.
- 2 Non est opus statim fructum sperare, sufficit, si de cursum temporis speretur.
- 3 Spes fructus probabilis sufficit ad obligationem correctionis.
- 4 Quando dubius est, an correctio profutura, vel obfutura sit, nulla est obligatio.
- 5 Secus si dubius sis de profectu, ac securus non illaturus damnum.
- 6 In extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumtum adhibenda est correctio.

1 Communis sententia affirmat cum D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 6. necessarium requiri spem fructus, alias correctio esset otiosa, ideoque dixit August. cap. si quis, de penitent. dist. 7. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem. Neque aduertus hanc communem doctrinam obstat Sanch. lib. 2. de matrim. disput. 38. num. 2. affirmans laborantem ignorantia vincibili, & culpabili, si ad confessorium accedat, monendum esse, etiam si confessorius iudicet non profuturam monitionem; quia vt bene ipse Sanch. explicat, etià non proficit monitio, vt à peccato desistat, pro

prodest tamen, ut stimulis ageretur, & præcipue ne querelas formet negatæ sibi absolutionis, quare non tam ex præcepto correctionis, quam ex obligatione confessarij succurrendus est peccatoribus.

2. Aduertendum tamen est non requiri necessariò fructum ex correctione statim sperari: sufficit, si decursu temporis speretur, ita Suar. *de charit. disp. 8. sect. 3. num. 4.* & relato Syluest. Adrian. Nauarr. & D. Thom. docet Ioann. Sanch. *disp. 6. select. num. 9. §. aduertendum.* Thom. Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 13. num. 3.* alios plures referens. Quare si persona talis est, qua cum possis in correctione progredi, & sperares per tertiam correctionem fore emendandum, debes primam & secundam apponere, quia iam erant illa correctiones necessariæ. At hoc nimis metaphysicum est. Quis enim sibi persuadere potest illam tertiam correctionem non habituram effectum, nisi præcedentibus duabus primis, aut vade probabiliter cognosci potest non repulsurum peccatorem illam tertiam correctionem, sicut & duas primas? Si igitur ex alio capite præsumitur peccatorem tempore illius terciae correctionis fore dispositum, & correctioni obtemperaturum, omittatur correctio vsque ad illud tempus, siquidem antecedentes correctiones nullius sunt effectus: & ita sentit Egidius de Coninch, *disputatione vigesima octaua, de correctione dub. 6. numer. 104.*

3. Difficultas autem est, quæ spes requiratur, an debeat esse certa, vel sufficiat probabilis, aut dubia? Et certam debere esse tradit Caietan. *in sum. verbo correctio.* Recepta tamen omnium sententia est non requiri omnino certam, alias nunquam correctio apponeretur, cum hæc certitudo esse non possit, siquidem est de re ab alterius voluntate dependenti. Quare sufficit probabile esse correctionem profuturam, & non obfuturam, vt obligeris corrigere: ita tradit D. Thom. 2. 2. *quest. 33. art. 2. ad 4.* Bannes hic *art. 1. dub. ult.* Torres, *disp. 86. dub. 3. §. sed difficultas est.* Valen. *disp. 3. q. 10. p. 2. pag. 665. §. altero modo.* Adrian. Sotus, & alij, quos refert, & sequitur Suar. *disp. 8. sect. 3. num. 3.* & probatur ex D. August. 1. *de ciuit. Dei. cap. 9.* vbi damnat eos, qui metuunt leuiter proximum corrumpere, cum fortasse possent corrigendo corrigere: & paulo inferius monet abstinendum non esse à correctione, quia inquit, *Semper incertum est, an voluntatem sit peccator in melius mutaturus.* Confirmarique potest exemplo Medici, qui ægro tenetur corporalem medicinam præbere, quam credit profuturam, & cognoscit non obfuturam. Ergo etiam Medicus spiritalis tenetur medicinam probabiliter salutiferam peccatori offerre, cum sciat nullum ex illa damnosum esse accepturum.

Quod si probabiliter tibi persuades nihil effecturum per correctionem, non teneris illam apponere: ita expresse docet Valen. 2. 2. *quest. 10. disp. 3. p. 2. §. tercia circumstantia.* pag. 657. cum Richard. 4. *disp. 19. art. 2. q. 1.* & Dur. *ibidem. qu. 3. art. 3.* & alij communiter, quia tunc cessat finis intrinsecus correctionis, saltem in prudenti estimatione, neque enim ad actionem inuicem obligatione esse potest.

4. Item quando dubius es, an correctio nocitura, vel profutura sit, ferè omnes conueniunt omittendam esse? & in hoc sensu dixit Caietan. debere esse certam spem fructus, id est, sine dubitatione nocumenti: ita alij relatis docent Suar. *de charit. disp. 8. sect. 3. num. 3.* Bonac. *suprà num. 6.* Lorca 2. 2. *q. 33. art. 6. disp. 44. n. 9.* Valen. *ibid. disp. 3. q. 10. p. 2. pag. 664. §. sed si attentè legatur.* Bannes 2. 2. *q. 33. art. 2. ad finem.* Villalob. tanquam probabile, 2. 2. *sum. tract. 4. difficult. 3. n. 4.* Coninch. *disp. 28. dub. 6. numer. 92.* Ratio quia in dubio nocumenti, vel fructus non est, vnde correctio nis obligatio oritur, quæ ad fructum, vt ad finem tendit, quæ doctrina, vt bene aduertit Valen. *suprà*, vera est; etiam si minus dubites de correctionis emolumento: sufficit enim si de nocumento dubites, vt obligatio cesset. Nocumentum voco non aliquam tristitiam, metorem, vel iram cum aliqua leui culpa, quia hæc non reputantur vt nocumenta; comparatione fructus ex correctione sperati, vt bene aduertit Suares *disputatione octaua, de charitate, sectione tercia, numero 5.* Sed nocumentum, quod debet timeri, est graue damnum in correcto, scilicet nouum peccatum graue, vel noua obstinatio in peccato, de quo fit correctio.

5. Aduertit tamen Valen. *suprà p. 2. pag. 665. §. altero modo.* cum Adrian. & Caietano, Dubius de profectu correctionis, certus tamen non obfuturam tenetur corrigere, sicut Medicus tenetur medicinam ægroto adhibere, de qua certus est non obfuturam, sperat tamen sub dubio profuturam.

6. Sed quid dicendum in casu, quo peccator sit in extremis, & æquè dubitas de fructu correctionis, ac de illius nocumento?

Pro certo tenendum est adhibendam esse correctionem ita Lorca. Suar. Bonac. Bannes, Valen. Villalobos, Coninch. *suprà* quia nocumentum non adhibita correctione est certum, grauissimum, & irreparabile, vapore damnatio æterna. Nocumentum verò ex correctione timendum non est ita graue, quod abundè non compensetur spe, est dubia illud nocumentum æternum reparandum. Ergo teneris corrigere, vt repates non solum præsens peccatum, sed æternam damnationem: sicut Medicus ægroto, etiam de salute desperato potest, & debet dubiam medicinam applicare, quia nocumentum quod per illam medicinam applicationem timetur ad-

dendum, nullius est considerationis, & fructus esse potest maximus. Item ex duobus malis minus est eligendum. Sed minus malum est, quod ipse aliquod peccatum committat, quam quod in æternum damnetur. Ergo primò curandum est æternam damnationem vitare.

PUNCTVM VI.

Quæ causæ ab obligatione correctionis excusent.

1. *Extra casum extremae necessitatis excusaris à correctione ob graue detrimentum honoris, vite & fortuna.*
2. *Plurimi à mortali excusantur non adhibentes correctionem.*
3. *At in casu extremae necessitatis plures consent cum periculo vite obligare correctionem.*
4. *Expenduntur aliqui casus, in quibus obligatio corrigendi cum periculo vite asseritur ab aliquibus Doctõribus.*
5. *Si proximus ab alio, vel à se corrigendus est, non obligaris corrigere.*
6. *Si speras proximum alio tempore fructuosus esse corrigendum, excusaris à correctione statim faciendâ.*
7. *Quod est verum, tamen si proximus intermedio tempore peccatum aliquod committat.*

1. **E**XTRA casum extremum, qualis est, si proximus mortuus est in peccato mortali, non existente correctione, ferè omnes Doctores conueniunt excusatum te esse à correctione ob graue damnum vite, honoris, vel fortunæ, quia præcepta non ita grauius obligant, lex enim Christi suauis est: ita relato Atag. Valen. Reginaldo, Bannes, Maldero, Nauarro, docuit Bonac. *de charit. disp. 3. q. 4. p. 7. num. 11.* Nauarr. *de restit. lib. 2. cap. 4. dub. 12. n. 107. 2. edit.* Coninch. *disp. 28. dub. 6. num. 124.*

2. Ex supradicto principio plurimi non corrigentes proximum excusantur saltem à mortali; pudor illos, & verecundia occupat ne corrigant: vincere autem pudorem, & verecundiam non facile possunt, qua ratione in materia detractionis excusamus à peccato mortali audientes detractorem, & præ verecundia illum non corrigentes: & hac de causa dixit Eman. Saa *verbo correctio. n. 2.* omittere correctionem frequenter veniale peccatum est. Et in propriis terminis ob pudorem, & verecundiam excusari à correctione docet Valen. *disp. 3. q. 10. p. 2. pag. 662. §. quando certum est.* cum D. Thom. *art. 2. ad 3.* & Caietan. *ibid. §. in sum.* *verbo correctio fraterna.* Suar. *disp. 7. de correct. sect. 3. num. 5.* Ioann. Sanch. *disp. 6. select. n. 9.* Debet tamen pudor, & verecundia alienius momenti esse, quem facile cordatus vincere non potest. Neque enim ob leuem pudorem & verecundiam omittenda est correctio, alias nunquam fieret. Si enim, vt benedicit Egid. de Coninch. 2. *disp. 28. de correct. dub. 6. n. 126.* in communibus necessitatibus tenetur priuatus corrumpere peccatorem, est credat se idè deridendum, aut aliquas iniurias audierum, aut aliquod odium non ita sibi nocuum excitaturum, modò speret ex correctione fratris lucrum: à fortiori obligatus erit, tamen si aliquem pudorem patiatur.

3. Verum si proximus sit in extremis, & mortaliter existimetur certum correctione posita in gratia decessurum, secus verò in peccato mortuum, plures Doctores existimant te obligatum esse corrigere etiam cum periculo vite propriæ: ita Bonac. *locò allegato. n. 11.* Bannes 2. 2. *q. 33. art. 3. dub. 4. Sotus. memb. 2. q. 2. concl. 6.* Nauarr. *sum. c. 24. n. 12.* Valen. *disp. 3. q. 10. p. 2. pag. 665. §. tercia sententia.* Torres 2. 2. *q. 33. d. 87. dub. 2.* Egid. de Coninch. *d. 28. dub. 6. n. 124. §. 126.* & dixerat *disp. 25. n. 86.* colligitur ex Suar. *disp. 9. de charit. sect. 2. n. 3. sine.* Probat, quia salus æterna proximi temporali vite præferenda est, iuxta illud 1. Ioann. 3. *§. nos debemus pro fratribus animas ponere.* Exemplum est de puero in extremis constituto, quem baptizare teneris cum periculo propriæ vite, ne in peccato originali decedat, & adulo in extremis existenti, cuique difficilis sit contritio, teneris sacramentum ministrare.

4. At hæc exempla non leuem patiuntur difficultatem. Admitto gratis te teneri baptizare paruulum iam animam agnitem, quia non habet aliud medium, quo à peccato liberetur, & vitam consequatur. Contrarium enim defendit Sotus *de secret. memb. 2. q. 2. post 6. conclus.* Saa *verbo charitas. num. 4.* Arenal de *correct. fraterna, fol. 174.* Ioan. Sanch. *disp. 10. select. numero. 10. circa medium.* Ac adulo, cui est difficilis sic contritio, est tamen possibilis, non videris cum periculo vite obligatus illi sacramenta ministrare, multo minus correctionem, quia solum grauius, & non extremè indiget hoc medio correctionis, eaque de causa, Eman. Saa *verbo correctio. n. 1. in edit. Romana, dixit cum Victoria.* priuatum non teneri cum periculo vite corrigere. Valen. *disp. 3. q. 10. p. 2. pag. 653. §. Et quidem,* affirmat ex malitia peccatorem nunquam laborare necessitate extrema. Idem dixit Villalob. 2. 2. *sum. tra. 4. difficult. 3. n. 6. circa finem.* casum hunc de necessitate extrema ratio, vel nunquam contingere; ipse enim solum agnoscat, quando proximum laborare ignorantia vincibili alicuius necessitatis